Quod Summus dierum temporumq; Stator approbet!

PROBLEMA HISTORICUM
De
PLANETARIA DIERUM DENOMINATIONE,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ in *Academia Lipsiensi*, indultu, publicæ Censuræ proponet

PRÆSES

M. JOHANNES MOEBIUS, Martisburgensis, S. S. Theol. Cultor,

RESPONDENTE

STEPHANO DUBRAVIO, Zakoltzâ Hung. Philos. Baccal. & SS. Theol. Stud.

ad diem 1. *Junii* Anni labentis M DC LXXXVII.

LIPSIÆ,
Recusa Typis & sumptibus Colerianis.





Onaturis aliquid nobis in præſenti (quod feliciter evenire jubeat Deus!) de dierum denominatione à Planetis ducta, ipſi ſtatim rei, ſemotis verborum ambagibus, manum libet admovere, hanc dicturis legem in hoc labore nobis, ut ſciſſo in tria capita argumento, primo quidem conſideremus Autores, ſecundo fundamentum, & tertio denominationis hujus moralitatem. Chriſte fave cœptis!

CAPUT I.

DE DENOMINATIONIS HUJUS AUTORIBUS.

§. 1.

OMiſſis aliis dierum diviſionibus, quæ parum ſerviunt inſtituto noſtro, & peti poſſunt partim ex *Macrobii Saturnal. libr.* 1. *cap.* 16. *p. m.* 263. *ſeqq.* partim è *Scaligeri Emendat. Temporum libr.* 1. *fol. m.* 6. *&* 7. nos eam ſolùm hùc advocamus, qua dies alius dicitur eſſe naturalis, alius civilis. Naturalem cùm *Strauchio Brexiar. Chronolog. cap.* 4. *p. m.* 52. dicimus illud temporis ſpatium, quod ab exortu Solis usq; ad occaſum decurrit, noctè continuò ſuccedente. Civilem verò cum eodem, vocamus ſpatium temporis, quod fit uno

 cœli

cœli circuitu, atque adeò noctem diei naturali contradistinctam simul complectitur, Græcis νυχθήμερον item ἡμερονύκτιον appellatum. Id tamen adhuc cum eodem ex loco citato placet indicare, quod circa id divisionis genus discrepent Chronologi ab Astronomis. Quem enim diem vocant naturalem Chronologi, hic artificialis audit Astronomis; vicissim quem civilem illi appellitant, naturalem salutant Astronomi. Jam dicimus, dierum nomine hoc loco non nobis venire naturales, Chronologis sic dictos,) verùm qui ab ipsis nuncupantur civiles. Causam hanc assignamus, quia singulos Planetas Ægyptii præfecerunt singulis horis tàm diurnis quàm nocturnis, per §. 3. cap. 2. ut frustra sit omninò, qui in hoc negotio noctem cuperet sejungere à die. Verbo; integrum νυχθήμερον nostrum, cui invigilabimus, sibi deposcit disserendi genus. Nec putamus fore ullum, cui obscurum sit dissertationis nostræ objectum. Cuivis etenim, vel silentibus nobis, inculcat titulus, de eo constitutum nobis dispicere denominandi modo, quo diem quemlibet peculiari Planetæ nomine solemus insignire, & vocare primum, diem Solis, secundum, diem Lunæ, tertium Martis, quartum Mercurii, quintum Jovis, sextum Veneris, & septimum Saturni. Hæc nobis ad alia tendentibus circa explicationem terminorum possunt sufficere in præsens. Ad rem ipsam nunc accedendum.

§. 2. Origo hujus denominationis unde sit arcessenda, ultro citroque inter eruditos disceptatur. Hermetem Ægyptium illius autorem profitetur Philastrius, allegatus *Seldeno de Jure Naturæ & Gentium secundum disciplinam Hebræorum lib.* 3. *cap.* 19. *p. m.* 423. Ptolomæum Mathematicum sibi eligit *Hospinianus de Origine Festorum libr.* 2. *cap.* 5. *fol. m.* 47. cum quo in fine capitis secundi congrediemur. Sabæis transscribit hanc laudem Said Vaheb, Arabs, citatus *Hottingero Histor. Orient. lib.* 1. *cap.* 8. *p. m.* 267. cui quoque subscribit *Hoornbeeck Summæ Controvers. lib.* 10. *p. m.* 748. Verùm

Arabis

Arabis illius teſtimonio nos Herodoti & Dionis Caſſii, qui jam in medium prodibunt, autoritatem putamus anteferendam.

§. 3. Rectiùs hujus denominationis gloria vindicatur Ægyptiis, cui rei omninò fidem facit, Par Hiſtoricorum non contemnendum Herodotus & Dio Caſſius. Ac Herodotus quidem *lib.* 2. qui inſcribitur Euterpe *f. m.* 134. hæc commemorat nobis: Καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισι ἐστὶ ἐξευρημένα, μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη θεῶν ὅτευ ἐστί, *alia ſunt inſuper ab Ægyptiis excogitata, quis menſis diesve cujus deorum ſit.* Dionis Caſſii verò *Hiſt. Rom. lib.* 36. *fol. m.* 37. hæc ſunt verba: τὸ δὲ δὴ ἐς τοὺς Πλανήτας ὠνομασμένους τὰς ἡμέρας ἀνακεῖσθαι κατέστη μὲν ὑπ᾽ Αἰγυπτίων, πάρεστι δὲ καὶ ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους οὐ πάλαι ποτὲ, ὡς λόγῳ εἰπεῖν, ἀρξάμενον, οἱ γοῦν ἀρχαῖοι Ἕλληνες οὐδαμῇ αὐτὸ (ὅσα γε ἐμὲ εἰδέναι) ἠπίσταντο, *quod autem dies ad ſeptem ſidera illa, quos Planetas appellarunt, referuntur, id ab Ægyptiis, ut paucis dicam, inſtitutum ad omnes homines haud ita dudum dimanavit. Nam priſcis Græcis, quantum mihi conſtat, notus is mos non fuit.* Addit his calculum Marshamus *Canon. Chron. ſecul.* 9. *p. m.* 179. Nec abeſt Seldenus *Jur. Nat. & Gent. lib.* 3. *cap.* 19. *p. m.* 433. qui & *cap.* 20. *f.* 424. apertè tradit ab Ægyptiis poſtea hoc inſtitutum accepiſſe Græcos & Romanos.

§. 4. Neq; tamen exiſtimare oportet, id ſolum memorari, cujus Ægyptii autores extiterunt, inventum: imò verò plura alia commemorantur. Τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισι ἐστὶ ἐξευρημένα μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη θεῶν ὅτευ ἐστί· καὶ τῇ ἕκαστος ἡμέρῃ γενόμενος, ὁτέοισι ἐγκυρήσει, καὶ ὅκως τελευτήσει καὶ ὁκοῖός τις ἔσται, *alia inſuper ſunt ab Ægyptiis excogitata, quis menſis diesve cujus deorum ſit, & quo quis die genitus, qualia ſortiturus, & quam mortem obiturus, & qualis extiturus*, ait Herodotus *loc. cit.* Et *lib. eod. f. m.* 101. ὅσα δὲ ἀνθρωπήϊα πρήγματα, ὧδε ἔλεγον ὁμολογέοντες σφίσι· πρώτους Αἰγυπτίους ἀνθρώπων ἁπάντων ἐξευρέειν τὸν ἐνιαυτὸν, δυώδεκα μέρεα δασαμένους τῶν ὡρέων ἐς αὐτὸν, *quæ autem humanarum rerum ſunt, hæc ita referebant inter ſe conſtare: o-*

 mnium

omnium hominum primos Ægyptios annum comperisse, distingventes eum in duodecim temporum menses. Quò faciunt & verba Macrobii *Saturnal. lib. 1. cap. 12. p. m. 242. anni certus modus apud solos semper Ægyptios fuit.* Porrò de aliis, quæ instituerit horum hominum solertia, ita pergit disserere Herodotus paucis verbis â superioribus interjectis, lib. & fol. citt. δυώδεκά τε θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτους Αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν. βωμούς τε καὶ ἀγάλματα καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους, καὶ ζῶα ἐν λίθοισι ἐγγλύψαι, *Ægyptios quoque primos, dicebant, duodecim deorum cognomina in usu habuisse, & ab illis Græcos fuisse mutuatos. Item primos diis & aras & simulacra & delubra statuisse: quin etiam animalia in saxis sculpsisse.* Tantum de Ægyptiorum repertis; quas tamen relationes promiscuè omnes pari fide acceptare nolim, maxime illam de anno, quem Ægyptios ab Hebræis, ut pleraque alia edoctos, nullâ eget probatione.

CAPUT II.

DE DENOMINATIONIS HUJUS FUNDAMENTO.

§. 1.

SCimus autores. Fundamentum hujus denominationis nobis jam perquirendum. Triplex oculis nostris subjiciunt celebrium autorum scripta, quorum primum desumptum à quodam Musicæ genere, secundum à Planetarum regimine in horas, tertium & ultimum à dignitate Solis & Lunæ, ac ordinata alternatione (ut loqui amant) Planetarum reliquorum inter se invicem. De quolibet ordine.

§. 2. De primo audiendus Dio Cassius *Hist. Rom. libr. 36. fol. m. 38.* ἤκουσα δὲ δύο λόγους, ἄλλως μὲν οὐ χαλεποὺς γνωσθῆναι, θεωρίας τινὸς ἐχομένους. Εἰ γάρ τις τὴν ἁρμονίαν τὴν διὰ τεσσάρων καλουμένην

λεγμένην (ἥπερ που καὶ τὸ κῦρος τῆς μουσικῆς συνέχειν πεπίστευται) καὶ ἐπὶ τοὺς ἀστέρας τούτους, ὑφ' ὧν ὁ πᾶς τοῦ οὐρανοῦ κόσμος διείληπται, κατὰ τὴν τάξιν, καθ' ἣν ἕκαστος αὐτῶν περιπορεύεται, ἐπαγάγοι, καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς ἔξω περιφορᾶς τῆς τῷ Κρόνῳ διδομένης, ἔπειτα διαλιπὼν δύο τὰς ἐχομένας τὸν τῆς τετάρτης δεσπότην ὀνομάσειε· καὶ μετ' αὐτὸν δύο αὖ ἑτέρας ὑπερβὰς ἐπὶ τὴν ἑβδόμην ἀφίκοιτο· κἂν τῷ αὐτῷ τούτῳ τρόπῳ αὐτός τε ἔφαινον ἐπιὼν, καὶ τοὺς ἐφόρους θεοὺς ἀνακυκλῶν ἐπιλέγοι ταῖς ἡμέραις· εὑρήσει πάσας αὐτὰς μουσικῶς πως τῇ τοῦ οὐρανοῦ διακοσμήσει προσηκούσας. Εἷς μὲν δὴ οὕτως λέγεται λόγος, *audivi vero duos de hac re sermones haud ita difficiles cognitu, contemplatione tamen quadam nitentes. Nam si quis harmoniam eam, quæ diatessaron vocatur (quæ alioquin in Musica primas obtinere creditur) etiam ad isthæc sidera, quibus omnis cæli ornatus constat, ita transferat, quemadmodum ordo conversionis uniuscujusq; eorum exigit, factoq; ab extremo ambitu, quem Saturno tribuunt, initio, dein proxime sequentes duos motus præteriens, quarti dominum recenseat: iterumq; ab eo, duobus proximis præteritis ad septimam conversionem deveniat: atq; hoc modo diebus singulis eorum inspectores gubernatoresq; deos in orbem rediens deligat assignetq;: is inveniet, omnes dies musica quadam ratione cælesti administrationi congruere. Atq; hæc prior fertur ratio.*

§. 3. Alterum fundamentum æquè ac prius è Dione hauriendum, *loc. cit.* sic pergente: ἕτερος δὲ ὅδε. τὰς ὥρας τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς ἀπὸ τῆς πρώτης ἀρξάμενος ἀριθμεῖν, καὶ ἐκείνην μὲν τῷ Κρόνῳ διδοὺς, τὴν δὲ ἔπειτα τῷ Διῒ, καὶ τρίτην Ἄρει, τετάρτην Ἡλίῳ, πέμπτην Ἀφροδίτῃ, ἕκτην Ἑρμῇ, καὶ ἑβδόμην Σελήνῃ, κατὰ τὴν τάξιν τῶν κύκλων, καθ' ἣν οἱ Αἰγύπτιοι τοιαύτην νομίζουσι, καὶ τοῦτο καὶ αὖθις ποιήσας· πάσας γὰρ οὕτως τὰς τέσσαρας καὶ εἴκοσιν ὥρας περιελθὼν, εὑρήσεις τὴν πρώτην τῆς ἐπιούσης ἡμέρας ὥραν ἐς τὸν ἥλιον ἀφικνουμένην· καὶ τοῦτο καὶ ἐπ' ἐκείνων τῶν τεσσάρων καὶ εἴκοσιν ὡρῶν κατὰ τὸν αὐτὸν τοῖς πρόσθεν λόγον πράξας, τῇ Σελήνῃ τὴν πρώτην τῆς τρίτης ἡμέρας ὥραν ἀναθήσεις, καὶ οὕτω διὰ τῶν λοιπῶν πορεύσῃ, τὸν προσήκοντα ἑαυτῇ θεὸν ἑκάστη ἡμέρα λήψεται, *altera* (ratio) *hæc est. Horas tam noctis quam diei numera, â prima incipiens, eamq; Saturno tribue, sequentem Jovi, tertiam Marti, qvartam Soli, quintam Veneri, Mercurio sextam,*

tam, ſeptimam Lunæ, ſecundum ordinem orbium, quem eo, quo perhibui, modo Ægyptii tradunt: hocq; aliquoties facto, ubi per viginti quatuor horas circumiveris, primam ſubſequentis diei horam invenies Soli obtingere. Jam ſi hujus quoque diei horas viginti quatuor eodem modo tractes, ad Lunam referes primam tertiæ diei horam; ſiq; eodem modo reliquos etiam dies percurreris, quævis dies ſibi congruentem deum accipiet. Ex quibus verbis primò intelligimus, hebdomadem dierum, quæ jam inde à Moſe ad hæc usque tempora noſtra eſt propagata, innotuiſſe quoque Ægyptiis. Nam id nî fuiſſet quomodo reſtringere potuiſſent ad ſeptem ſidera dies, ſi fuiſſent vel plures vel pauciores. Deinde diſcimus ex his Dionis verbis ordinem orbium Planetarum, quo uſi Ægyptii, per illa: *ſecundum ordinem orbium, quem eo, quo perhibui, modo Ægyptii tradunt.* Porrò cognoſcimus ordinem dierum Veteribus uſitatum, hunc nempe, quod ſit primus dies Saturni, cum diem Solis Dio vocet ἡμέραν ὀγδόην, & diem Lunæ τρίτην ἡμέραν, ex quibus conficitur, diem primum non alium fuiſſe, quàm quem ſuo nomine occupat Saturnus. Tandem & ipſius hujus fundamenti ex his cognoſcimus rationem, in eo ſitam, quòd numerandæ ſint nobis horæ tam nocturnæ quàm diurnæ, & incipiendum à prima, atque hæc tribuenda Saturno, &c. quæ quidem ratio tàm eſt evidens, ut evidentius eſſe nil queat. Deflectunt tamen ab hac recentiorum aliqui, & ex eo, quòd dies Solis ſequenti tempore habitus ſit primus, hujus diei primæ horæ deferunt Solem, præmiſſis his quatuor, Sole, Venere, Mercurio & Luna, reliquis tribus, Saturno, Jovi & Marti; die Saturni cum ſua revolutione Planetarum per quatuor viginti horas, ad ultimam lineam rejecto. Vide *Strauchii Brev. Chron. cap. 2. quæſt. 11. p. m. 39.* Quæ ratio, dummodo ne confundatur cum illa Ægyptiorum, quod tamen nobis videtur uni alterive in hoc negotio accidiſſe, juſta omninò eſt, nec temerè improbanda. Nam poſtquam

Solis

Solis dies, dudum publico instituto cœpit haberi dies septimanæ primus, jus fasq; est, ut tenaciter illi inhæreamus, & ne latum quidem unguem, quod ajunt, ab eo recedamus. Optandum autem fuisset, ut Dio etiam significasset nobis, quodnam apud Ægyptios principium computationis fuerit diei datum. Nam discrepantes hac de re constat esse sententias Plinius *Hist. Nat. lib. 2. cap. 77. p. m.* 88. *Ægyptii*, inquit, *à media nocte in mediam* (diem computant). Alexander ab Alexandro *Genial. Dierum l. 4. c. 20. f. m.* 573. *pervulgatum fere est*, (inquit) *Ægyptios & Athenienses diem à Solis occasu facere, & ad alterum occidentem terminare: ita ut quod spatii inter duplicem occasum fuit, integrum diem putarent.* Rursus alios affirmare, ab ortu Solis dies suos auspicatos esse Ægyptios, tradit *Strauch. Breviar. Chronol. cap. 4. quæst. 12. p. m.* 63. qui & eo loco, non deesse argumenta, dicit, quibus probabile reddi queat, à meridie auspicatos esse dies suos, Ægyptios. Defectum hunc interim, quô laborat Dio hâc in parte, resarsit nobis grata aliorum memoriâ dignorum narratione. Sed in viam.

§. 4. Tertio & ultimo fundamento delectatur Beda, quod *Marshamus in Canone Chronico p. m.* 197. approbat & recenset his verbis: *in denominatione dierum non is est Planetarum ordo, qui in orbium cœlestium serie. Cujus rei causas alii alias excogitarunt. Bedæ nostratis ratio quo simplicior, eo est melior. Gentiles (inquit) quasi jure primam diem Soli, quia maximum est luminare, secundam Lunæ, quia secundum luminare est, se consecrare putabant. Dein ordinata alternatione tertiæ diei primam â Sole stellam (Martem), quartæ primam â Luna (Mercurium), quintæ secundam â Sole (Jovem), sextæ secundam â Luna (Venerem), septimæ tertiam â Sole (Saturnum), præponebant.* Huic subjungam opinionem Seldeni, quia ut ipse fatetur, non multum abest ab ea, cui addictus Beda, sententia. Ita verò ille *Jur. Nat. & Gent.*

 libr.

libr. 3. cap. 21. p. m. 445. quod vero ad Planetariæ denominationis ordinis rationem seu causam primariam spectat, sane mihi nondum persuasum est, aut â proportione Musica, aut ab horarum præfecturis hujusmodi ordinem manasse, sed â simpliciori multo origine, eaq; quidem alternationi illi, de qua loquitur Beda, proximante. Nimirum advertendum est inter Planetas seu in Heptazono longe primariam obtinuisse semper dignitatem Solem & Lunam &c. Et pag. 446. & 447. telam quam inchoaverat, hoc modo pertexit: *cum igitur tam insignis habita sit semper, idq; merito, utriusque dignitas ac præcellentia, diesq; inde hebdomadis primus Soli velut siderum plane Regi summo, & ob dignitatem secundam, secundus Lunæ esset assignandus, videtur quidem intervallum, non dico magnitudinis seu spatii, sed numeri, quo bini hi Planetæ primarii in Heptazono invicem disjungerentur, velut prototypum fuisse cæteris in Heptazoni cyclo sequentibus. Adeo ut quemadmodum & quoniam Luna Solem binis intermediis, nempe Venere & Mercurio prætermissis, in hebdomadicæ denominationis initio sequebatur, ita etiam atq; ideo parili in revertente Heptazoni cyclo, intervallo numeri distaret tertius â Luna. Unde tertium diem sortitus est Mars, & simili semper intervallo dies suos reliqui quatuor.*

§. 5. Hoc est triplex illud fundamentum denominationis hujus dierum, de quâ stetit nobis disquirendi consilium. Jam si dicendum nobis (omninò autem dicendum) quid de sententiis istis statui oportere existimemus, sanè non aliter possumus, quàm ut ambas illas, quæ arriserunt Ægyptiis (nam utramque ab his promanare, puto jam sufficienter probatum è Dione §. 3. & 3. *cap.* 1.) dicamus infirmas. Cur ita sentiamus, edemus causam brevissimis. Spirat primum illud fundamentum, ad quod ductu harmoniæ διὰ τεσσάρων delapsos Ægyptios scribit Dio, suave somnium de motu cœli Musico, supponens orbes solidos quos statuisse in cœlo ve-

lo veteres, notiſſimum eſt. Confer Gaſſendum *Inſtitut. Aſtron. l. 3. c. 12. p. m. 168.* (eo loco & annotantem, confregiſſe illos & deturbaſſe ex æthere, maximè Tychonem Braheum.) Inveniſſe quidem hunc motum quondam vindicem Pythagoram, memoriæ prodidit Cenſorinus *de die natali c. 13. p. m. 56. & 57.* tantoperè hoc oblectatum, ut & ſuum ſyſtema cœli exinde conſtrueret, de quo copiosè Ricciolus *Almageſt. lib. 3. cap. 6. fol. m. 101. & lib. 9. ſect. 3. cap. 2. f. m. 277.* verùm annuere Philoſopho Samio quis cordatus auſit? Ταῦτα δὲ ἐμμελῶς μὲν λέγεται καὶ μουσικῶς· ἀδύνατον δὲ, τοῦτον ἔχειν τὸν τρόπον, *concinnè quidem muſicèque hæc dicuntur: at fieri nequit, ut res ita ſe habeat*, judicio ipſius Ariſtotelis *lib. 2. de Cœlo, cap. 9. textu 52.* ubi totus eſt in ea opinione refellenda. Nec benignius ſentire oportet de altero, quod ita horas dividit inter Planetas, ut prodeat uſitata nobis denominatio, fundamento. Hîc ſeries Planetarum claudicat, cui denominationem Priſci illi inædificarunt. Habet quod deſideret in hoc ordine noſtra ætas, longè accuratius perſcrutata cœli machinam, quàm omnes vetuſti hujus ordinis conditores. *Contra Aſtronomicas rationes ſupponitur, Venerem & Mercurium Sole ſemper inferiores eſſe, Martem ſuperiorem, quæ omnia infelicioris ſeculi ſomnia fuerunt, cujus gnome: poſt Sim Sum ſequitur, ultima luna ſubeſt;* ait Strauchius *Brev. Chronol. c. 2. quæſt. 11. p. 38.* Conſule & ejus *Aſtrognoſ. ſect. 1. aph. 210. & 211. p. m. 155. & 156.* Nihil ergò contra placita hodierna obtinebunt antiqui illi inventores; cedere coguntur, infirmis oppidò apparentibus, quæ pepererunt nobis, inventis. Si quis tamen curioſus ſit circa hujus ultimi antiquitatem, nec interim cupiat reſecare ad vivum ejus robur, ſaltem optet, ut paulò clarius pernoſcere ſibi contingat veterum Ægyptiorum excogitata, ei ſecundùm ductum Dionis Caſſii è §. 3. in adjecto diagrammate ponemus præter oculos.

		1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9	10	11.	12.	13.	14.	15	16	17.	18.	19.	20	21	22.	23	24.
	I.	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂
	II.	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿
Dies.	III	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃
	IV.	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀
	V.	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄
	VI.	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉
	VII.	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽

§. 6. De cætero quod attinet tertium fundamentum, à Beda nobis ſuggeſtum, & approbatum à Marshamo, ſic ſatis quidem ingeniosè excogitatum illud videtur, ſed ab Ægyptiis profectum non eſſe, facilè agnoſcat, qui modò advertat, è Dione, primum diem ad juſtum Planetarum ordinem, quem illi conſtituerunt, fuiſſe exactum, nec diem illum Soli, ſed Saturno dicatum, clare patere. Ac conatur quidem Marshamus aliquam ipſi adſtruere prærogativam intuitu cæterorum, eò melius id eſſe affirmans §. 4. quò ſimplicius; ſed ratione infirma. Nam hæc conſequentia cum elidi poſſit inſtantiis prope innumeris, punctum omne mihi latura non videtur. Quicquid interim ſit de hac Marshami conſequentia, illud in aprico eſt, Seldenum §. 4. ut ſuam, quam Bedæ affinem pronunciat ſententiam, placuiſſe denominationis hujus repertoribus, perſuadeat lectori, fruſtra omnino laborare. Quod ut oſtendatur, res nobis repetenda eſt paulò altius. Ex Herodoto & Dione Caſſio ſuprà demonſtratum luculenter, denominationis hujus originem imputandam venire Ægyptiis: quam ſententiam ut certam, neque ullis obnoxiam dubiis tenemus. Nec adverſatur hîc nobis Seldenus, favet potius per ea, quæ dicta §. 3. cap. 1. Verum hac poſita aſſertione, jam porrò videre

dere nos par eſt, quid circa hanc rem definiverint Ægyptii inventores. Atque id ex monumentis antiquis pariter & idoneis petendum: eſt enim quæſtio facti, non ex ingenio noſtro, uti aliæ, quas ſubminiſtrat prima Philoſophia, ſed ex hiſtoria veteri tantùm depromenda. Ergò quid viſum fuerit Ægyptiis de re præſenti, id ſanè ſuâ autoritate Seldenus, ab omni priſcæ hiſtoriæ conſenſu nudus, nulla ex parte revelabit nobis, benè verò Hiſtoricorum veterum aliquis fide dignus. Ecquis autem fide dignior hoc loco Dione Caſſio, in quo, quod culpet, non invenit Voſſius *de Hiſtoricis Græcis lib. 2. c. 15. p. m. 237. & 238.* illo excepto, quod virus ſuum quadam mentis intemperie abreptus, ejaculetur in Ciceronem & Brutum, Caſſiumq; & L. Senecam, viros optimos & præſtantiſſimos. Exquiſitè laudat hunc ſcriptorem Fridericus Tilemannus, citatus *Hanckio de rer. Roman. ſcript. l. 1. part. 1. c. 20. p. m. 128.* pleroſque eum ſcriptores longo poſt ſe intervallo reliquiſſe dictitans; nec non *Bodinus* Method. *Hiſtor. c. 4. p. m. 83. & 84.* citatus eidem *p. 126.* inter optimos ſcriptores hunc referendum cenſens, id tamen adhuc præter illud, quod objecerat Voſſius, ipſi exprobrans, quod cum olim in bello immani Marco Antonino Imperatori cum Quadis geſto, Romanis militibus anguſtiis locorum clauſis, & nimio ardore Solis ſitiq; preſſis, multæ nubes derepente ita cogerentur, ut largus imber deflueret non modò, ſed & grando vehemens ac dira fulmina obruerent hoſtes, intacta Romanorum turba, hæc ille inſolita Arnulpho, Mago Ægyptiaco *libr. 91. f. m. 805.* vendicaverit, chriſtianorum militum precibus adſcribenda, Romano exercitui aggregatorum, ut legio eorum propterea κεραυνοβόλος diceretur. Conſule Tertullian. *Apologet. cap. 5. f. m. 697.* Euſebii *Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 5. f. m. 169.* Xiphilinum *lib. Dionis 71. f. m 805. & 806.* alioſque. Verùm his non obſtantibus ſua Dioni autoritas durabit perpetuò.

 Nam

Nam ſi ſcriptor ſtatim efficaciam in probando perdere ſit dicendus, quamprimum ei aut hæreat vitium, aut obrepat lapſus, Deus bone! multi jam, optimi aliàs commatis Hiſtorici inutiles fuiſſent redditi. Quare cauſa non eſt, cur Dioni hoc loco diffidamus, cum præſertim tàm claris tàm apertis circumſtantiis rem nobis enunciet, quibus clariores vix poterant afferri. Ut jam alia incommoda, quæ hanc ejus ſententiam urgent, & ex ſuperiùs dictis intelligi posſunt, non adducamus. Firmandæ interim ſententiæ noſtræ ergò, adducemus verba Celeberrimi *Voſſii in ejus Theologia Gentili lib. 2. c. 34. p. m.* 489. ſic ſonantia: *verius alii, qui geminam cauſam attulerunt. Una earum eſt, quod Ægyptii rationem habuerint harmoniæ* διὰ τεσσάρων. *Nam quaſi tetrachorda ſeptem in cœlo ſtatuerunt: quo pacto primum tetrachordum erit â Saturno ad Solem, alterum â Sole ad Lunam, tertium â Luna ad* Martem, *quartum â* Marte *ad* Mercurium, *quintum â* Mercurio *ad Jovem, ſextum â Jove ad Venerem. Altera ratio eſt iſta: ſingulis diei horis præfectus eſt unus ê ſeptem ſideribus memoratis. Quod ſi primæ horæ primi diei Sol præeſt, ſecundæ Venus, tertiæ* Mercurius, *quartæ Luna, quintæ Saturnus, ſextæ Jupiter, ſeptimæ* Mars, *octavæ Sol, & ita porro; omnino proximæ diei primæ horæ præſit Luna, tertiæ* Mars, *quartæ* Mercurius, *ac ita deinceps. Refert has duas cauſas Dio Coccejus lib. XXXII. item in ejus epitome Johannes Xiphilinus.* Ubi tamen fateor, poſteriora, quæ profert hîc Voſſius, â relatione Dionis Cocceji nonnihil deviare, utut in ſubſidium vocetur ejus autoritas. Nam primus dies, uti ex Dione non obſcurè pateſcit, fuit Priſcis dies Saturni. Inde ab hoc, ſecundùm ordinem orbium Planetarum, quem nobis Dio tradit, factâ prius revolutione Planetarum per quatuor viginti horas, demum ad diem Solis, qui ipſis ſecundus fuit, ſunt progreſſi. Vide §. 3. Quando autem Voſſius ait, ſingulis diei horis præfectum eſſe unum è ſeptem

ptem erronibus, dubio procul intellexit diem civilem, cujus dedimus deſcriptionem §. 1. *c.* 1. cum Dio ſignatè dicat, τὰς ὥρας τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς ἀπὸ τῆς πρώτης ἀρξάμενος ἀριθμεῖν &c. per §. ſæpius cit. imò neglecto hoc, & aſſumpto altero diei genere, nullo modo id inde evenire poſſet, ut primæ horæ ſecundi à Sole diei Luna obtingeret, ceu patet. Ut autem eò revertamur, unde ſumus digreſſi, ſatis, nî fallimur, clarè elucet ex his Voſſii verbis, illos, qui ab his, quæ Dio tradit fundamentis, traxiſſe originem autumant iſthanc denominationem, veriſſimè utique ſentire.

§. 7. Poſſemus jam properare ad caput tertium, niſi negotium nobis adhuc faceſſeret Hoſpinianus, hactenus dictis ſupra quàm dici poteſt, adverſus, cujus verba ſunt audienda: Sic verò telam ſuam orditur *de orig. Feſtor. l. 2. c. 5. f. m. 46. & 47. ſimiliter nec dies hebdomadæ ante tempora Ptolomæi nominibus Planetarum eo ordine, ut hodie diſtincti fuerunt, ſed nominati ſolùm à numero, quo ſe invicem in menſe ſequebantur. Id hâc ratione probo: veteres Aſtrologi ante Ptolomæum ſtatuerunt Solem immediatè ſupra Lunam, ſic ut illis Saturnus eſſet primus, ſecundus Jupiter, tertius* Mars, *deinde Venus, poſt eam* Mercurius, *inde Sol, ultima Luna. Juxta hunc ordinem dies ſeptimanæ ſic debuiſſent diſponi, à ſupremo Planeta incipiendo, ut primus eſſet Saturni, ſecundus Veneris, tertius Lunæ, quartus* Martis, *deinde dies Solis, poſt quem dies Jovis, ultimo loco dies* Mercurii. *Sed hic ordo neq; hodie, neq; olim obſervatus fuit.* Verùm hîc vehementer optaremus, ut ſignificaſſet Hoſpinianus nobis autores, qui de Aſtronomis omnibus Ptolomæo antiquioribus, hujusmodi aliquid referrent. Nam ex *Riccioli Almageſt. l. 3. c. 6. f. m.* 101. *& l. 9. ſect. 3. c. 2. f. m.* 277. didicimus, Pythagoricum ſyſtema cœli fuiſſe ita comparatum, ut curioſo ſcrutatori à terra exorſo, orbium Planetarum ordo naſceretur ejusmodi: Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Jupiter, Satur-

Saturnus. Eſt hic ipſe ordo, qui placuit Ægyptiis, per §.3. Jam verò Pythagoram antiquiorem fuiſſe Ptolomæo, cum ſit in conceſſo apud omnes, non putamus prolixâ probatione indigere. Quod verò univerſaliter loquatur Hoſpinianus de omnibus Aſtronomis Ptolomæi tempora antegreſſis, contextus verborum docet Lectorem. Adhæc nihil vidiſſemus libentius, quàm ut perſpicuis & claris verbis aperuiſſet nobis fundamentum, ita diſponendi dies ſeptimanæ, juxta eum, quem antiquiores Aſtronomos invexiſſe ſcribit orbium ordinem, ut ordo ille alter inde proveniat, quem nectit. Pergit: *Ptolomæus autem poſuit Solem in medio Planetarum, quorum ordo ab eo conſcriptus hic eſt: Saturnus, Jupiter,* Mars, *Sol, Venus,* Mercurius, *Luna. Juxta hunc demum ordinem dies ſeptimanæ à Saturno incipiendo ſic poſſunt diſponi & computari, ut primus ſit dies Saturni, quem ſequi debet dies Solis, & hunc dies Lunæ, Martis,* Mercurii, *Jovis, Veneris. Et hic eſt ordo, qui olim obſervatus fuit, ut adhuc hodie.* Sed hîc perperam primò hujus ordinis Planetarum, quem recenſet, autorem primum conſtituit Ptolomæum, cum ætas Ptolomæo ſuperior hunc frequentârit, vel ipſo Ptolomæo teſte, qui *Almageſt. lib. 9. cap. 1. f. m. 89. edit. lat. priſcorum ordinem* appellat. Deinde ſi de omnibus in univerſum populis velit intellecta, quæ de illius uſurpatione moris dicit, ut primus ſit ſeptimanæ dies Saturni, abſentimus. Nobis enim Chriſtianis primus eſt dies Solis, quod vel lippis & tonſoribus notum. Tandem neceſſe erat, doceri Lectorem modum, ita dies ſecundùm hunc Planetarum ordinem diſponendi, ut ſurgant hoc ordine Planetæ, quo ſe invicem ſeqvuntur in hodierna denominatione dierum. Nam dicere audemus, illa quæ facit, verba vix ulli lectorum ſatisfactura. Inſtat: *occaſionem ſine dubio Chaldæi dederunt, qui cuilibet horæ diei Planetam gubernatorem attribuerunt; inde enim poſteriores diem totum*

tum à primæ diei horæ gubernatore & præside denominarunt, quo observato proveniet ordo à Ptolomæo constitutus. Si enim diei noctisq; horas à prima statim cœperis numerare, sic ut primam Saturno, sequentem Jovi, tertiam Marti, *quartam Soli, quintam Veneri, sextam* Mercurio, *septimam Lunæ tribuas, per eam scilicet orbium seriem, quæ à Ptolomæo tradita fuit, atq; idem denuo facias, donec horas 24. pertranseas, invenies primam sequentis diei horam Soli assignatam: tum hoc idem in 24. horis illis eadem qua prius ratione si facias, Lunæ primam tertiæ diei horam conciliabis: quod si subinde hoc ipsum in cæteris observabis, congruentem plane Deum sibi dies quilibet adsciverit.* Hæc posteriora sunt verba Dionis latinè versa, quibus cur abusus fuerit autor ad asserendam Ptolomæo aliquam gloriam, id verò mirum alicui videri possit. Sed res ipsa inspicienda. Nam si ita est comparata hæc denominatio, uti eam hoc loco tradit Hospinianus, quorsum attinebat, suprà in pericope prima tàm inutilem serere copiam verborum? Verùm nec hic probat expectationem, quam de se concitaverat librorum de Festis autor. Chaldæos dicit primos cuilibet horæ diei Planetam rectorem dedisse, sed quæ dicta nullo sanè alicujus Historici testimonio fulcit. Ptolomæum dicit instituisse, quam acceptam referre oportebat Ægyptiis denominationem dierum. Eundem, ait, introduxisse allatam seriem orbium Planetarum, quam ut se antiquiorem sibi ipsi abjudicat Ptolomæus, per ea, quæ dicta pericope præcedente. Multa dicit, pauca probat, quid mirum, si pauca ipsi credamus? Hîc adsint oportet Scriptorum fide dignorum testimonia, quæ cum absint, quid habet magnoperè, quo gloriari possit Hospinianus? Tandem verò telam hoc modo absolvit: *intelligit ergo Lector, ante Ptolomæum dies hebdomadæ per nomina Planetarum non fuisse distinctos. Confirmari posse nostram sententiam quo-*

que Dionis testimonio arbitror, qui vixit sub Alexandro Severo circa annos Christi 225. Is enim lib. 7. & 30. hac de re ita scribit: nam quod his, inquit, septem stellis, quæ Planetæ vocantur, dies assignari receptum est, inventum quidem putatur Ægyptiacum: sed in omnes tamen homines haud ita pridem vulgari cœptum. Cæterum Græci veteres, quantum equidem sciam, nullo prorsus eam rem pacto cognitam habuerunt. Singula verba diligenter perpende. Distinctionem dierum per nomina Planetarum non ipse affirmat, multo minus probat inventum esse Ægyptiacum antiqvum, sed haberi saltem dicit: si quid certi ea de re ei in promptu fuisset, procul dubio assignasset. Deinde negat veteres Græcos eam rem aliquo pacto cognitam habuisse. Tertio dicit, hoc inventum non ita pridem ante tempora sua in vulgus sparsum fuisse: floruit autem Dio annos 90. post Ptolomæum sub Alexandro Severo. Hic digna obelo rursus congerit Autor, & examini accuratiori omninò subjicienda. Nam hem! quid hoc est, quod allegat librum septimum, & post hunc trigesimum, cum librorum à Dione relictorum primus in codice appareat nobis trigesimus quintus, nec is tamen integer, sed sola quædam ejus fragmenta, reliqui triginta quatuor in universum omnes injuria temporis intercide-rint. Jam locus, qui ex Dione affertur, nec integer est, nec menti Dionis satis congruus. Auscultemus Dionem lingua loquentem sua §. 3. *cap. hujus disp.* 2. τὸ δὲ δὴ ἐς τὰς ἑπ]ὰ Πλανήτας ὠνομασμένους τὰς ἡμέρας ἀνακεῖσθαι κατέστη μὲν ὑπ' Αἰγυπ]ίων, ait l. cit. An κατέστη idem est, quod habetur? Annon affirmat quæ profert? Quinimo non affirmat tantùm §. cit. sed & in verbis seqq. manifestissimè probat, quæ tamen hîc repeti non est necesse. Negat porrò Hospinianus, certi aliquid fuisse in promptu Dioni hâc de re, negat certi aliquid consignasse. Imò verò fuit aliquid certi ipsi in promptu, assignavit etiam §. cit. Porrò non dicit

Dio,

Dio, quod Hoſpinianus, in vulgus dimanaſſe hoc inſtitutum, ſed ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους, *in omnes homines.* Quod verò neget Græcis veteribus hâc de re aliquid conſtitiſſe, quod non ita pridem ante ſua tempora ad omnes homines hoc inſtitutum perveniſſe affirmet, non incommodat noſtræ ſententiæ, non juvat ſententiam Hoſpiniani. Quæ enim conſequentia: Dio negat, Græcis veteribus hunc ritum fuiſſe exploratum, aſſeverat, non ita pridem omnibus hominibus uſu receptum; ergò autor hujus denominationis eſt Ptolomæus. Sic enim colligere ſatagit Hoſpinianus, dum ſub initium hujus pericopes ait: *confirmari poſſe noſtram ſententiam quoq; Dionis teſtimonio arbitror.* Ego verò non arbitror, qui ſciam, tantum adverſari Hoſpiniano Dionem, ut quod videtur librorum de feſtis autori, inde nec admotis fidiculis poſſit exſculpi. Suas ergò res ſibi habeat Hoſpinianus, nec amplius turbet animi noſtri ſenſa.

Caput III.

DE DENOMINATIONIS HUJUS MORALITATE.

§. 1.

POſtquam igitur cum aliis populis & Chriſtianis placuit, ut ſeptimanas ſuas ordirentur à die Solis, factum eſt, ut ordo dierum Ægyptiis quondam uſitatus paululum turbaretur, & Solis dies primum conſequeretur locum, Saturni ultimum, ſalva interim denominatione ipſa. De cujus moralitate reſtat ut exponamus, & num ejus uſus ſit omni penitus crimine exemptus, ſpectemus breviſſimis.

§. 2. Brovvnistæ, sic dicti à Brovvnio, Ludimagistro primùm Southvvarkiæ, dein Pastore Islingtoni prope Londinum, (qui, ut istud hoc loce ὡς ὁδοῦ πάρεργον inspergam ex *Hornii Histor. Eccles. period. 3. art. p. m. 531.* cum frequenter pulsaret uxorem suam, reprehensus propterea, respondisse fertur, se non verberare eam ut uxorem suam, verùm ut nefariam & maledictam vetulam) uti singularia multa tuentur placita, quæ ἀκεϱθιγῶς percenset *Alexander Rossæus* **von der gantzen Welt Religionen** *sect. 12. p. m.* 458. *&* 459. ita & obliquis oculis limarunt hanc dierum denominationem, docente *Hoornbeek Sum. Controvers.* R*el. lib.* 10. *p. m.* 746. *seqq.* qui & eo loco circa hanc rem favet Brovvnistis, optatque ipse, ut loco taxatæ substituatur appellatio aliqua melior, quò cum *Polydoro Vergilio de rer. Invent. lib. 6. cap. 5. p. m.* 493. etiam propendet Ursinus *Analect. sacr. lib. 6. anal. 2. p. m.* 330. *&* 331.

§. 3 In Ecclesia veteri duplex potissimùm obtinebat dies denominandi modus, uti ex secuturis Patrũ locis perspicietur. Priorem constituebat à Planetis derivata denominatio. Tertullianus *in Apologet. c. 16. f. m.* 709. *deniq; inde suspicio, quod innotuerit nos ad orientis regionem precari. Sed & plerique vestrum affectatione aliquando & cœlestia adorandi ad Solis ortum labia vibratis. Æquè si diem Solis lætitiæ indulgemus, alia longe ratione quam religione Solis, secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipsi à Judaico more, quem ignorant.* Huc refer quoque Augustini verba ex integro ejus loco infra mox adducenda: *qui Mercurii dies dicitur à Paganis & à multis Christianis.* Alia aliorum Patrum loca, ut Justini Martyris & Clementis Alexandrini producit *Hoornbeek lib. cit. p.* 749. Altero modo ad numerum feriarum digerebant dies, vocantes hanc vel illam feriam. Augustinus *in præfat. ad Ps. 93. tom. 8. Opp. fol. m.* 714. *quare ergo*

talem

talem habet titulum (Psal.93.) *in quarta sabbathi? Una sabbathi dies dominicus est, secunda sabbathi secunda feria, quem Seculares diem Lunæ vocant. Tertia sabbathi tertia feria, quem diem illi Martis vocant. Quarta ergo sabbathorum, quarta feria, qui Mercurii dies dicitur â Paganis & â multis Christianis, sed nolumus ut dicant, atque utinam corrigantur, ut non dicant.* Circa quæ loca Patrum observatione nobis opus est *Hoornbeekii*, distingventis *lib. cit. p.* 749. inter denominationem Ecclesiasticam, & profanam seu vulgarem, significaturi, priorem appellandi consvetudinem usu profano, posteriorem usu Ecclesiastico valuisse.

§.4. Possemus his, nisi à proposito nostro foret alienum, aliquid intexere hoc loco, de mutatione denominationis mensium nostrorum. Constat enim ex historia Romana, unum alterumve ex his in Cæsarum, qui id imperabant, vel permittebant, nomina commutatum. Suetonius in vita Neronis cap 55. *multis rebus ac locis vetere appellatione detracta novam induxit ex suo nomine: mensem quoq; Aprilem Neronéum appellavit.* Idem in Caligula cap. 15. *in memoriam patris, Septembrem mensem Germanicum appellavit.* Idem Suetonius in Domitiano cap. 13. *post autem duos triumphos Germanici cognomine assumpto, Septembrem mensem & Octobrem, ex appellationibus suis, Germanicum Domitianumq; transnominavit: quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.* Tiberium tamen paulo aliter factitassu, idem est testis in vita ejus cap. 26. *intercessit, & quominus in acta sua juraretur: & ne mensis September Tiberius, October Livius vocarentur.* Ex adverso de Commodi adulatoribus hæc narrat Ælius Lampridius in ejus vita c. XI. *menses quoq; in honorem ejus pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum,*

 pro

ſanè intempeſtiva illa & neceſſitatis cauſa à quibusdam novatoribus requiſita mutatio, deficeret.

Verùm finis etiam imponendus labori. Bonam Deam implorabant Romani, ſi quid boni cuperent deſtinare: nos perſolutis Bono Deo pro ea, quam nobis huc usque adſpiravit, benignitate, gratiis, eundem, ut & imposterum cœpta noſtra fortunet, precamur.

